In usum Tabularum.

LONGITVDO, *Ptolemæo* & nobis in hoc libro, est Æquatoris sive Æquinoctialis Circuli segmentum, Meridiano ejusdem loci, & Fortunatarum Insularum Meridiano comprehensum: nam ab his Insulis initium longitudinis sumitur. Longitudo

Nonnulli jam longitudinem incipiunt non ab Insulis Fortunatis, (quæ Canariæ hodie vocantur) sed ab Insulis Flandricis quæ & *Açores* dicuntur, quod acus nautica ibi recta in Septentrionem vergat. Superficies vero Globi continet in longitudine gradus 360.

Latitudo est arcus vel segmentum cujusvis loci inter Æquatorem & Parallelum qui ejusdem loci punctum verticis ducitur intercluſus: estque semper æqualis elevationi Poli. Latitudo

Latitudo duplex est, scilicet Septentrionalis & Meridionalis, numeranturque ab Æquinoctiali ad utrumvis Polum Latitudinis gradus 90.

Longitudinem atque Latitudinum gradus in omnium Tabularum lateribus designavimus, & quidem pro maxima parte Latitudinis ad dextram & sinistram: Longitudinis vero in summo atque imo, nisi cum aliquando describenda regio magis inter Meridiem & Septentrionem extensa fuit.

Singuli gradus tam Longitudinis quam Latitudinis (pro loci capacitate,) nonnunquam in 60, aliquando in 10, 6, vel 5 partes, quæ Minuta vocantur, dividuntur. Graduum vero majoribus: Minutorum minoribus Arithmeticis figuris notavimus differentiæ causa.

Si quis Longitudinem vel Latitudinem alicujus loci explorare velit, ubi Meridiani Paralleli sunt: id efficiet distantiam eius a latere Tabulæ circino sumendo, circinumque sic expansum ad aliud latus applicando. Si distantiam ab Orientali latere sumpsisti, circinus ex eodem latere in Septentrionali latere gradum & minutum Longitudinis ostendet. Si a Boreo latere distantiam habes, ex eodem in Orientali latere Latitudinem designabit. Si vero Meridiani non fuerint Paralleli, eodem quidem modo loci Latitudo reperietur, at in universalibus Tabulis ubi Paralleli sunt circulares, distantia loci a proximo sumpta idem in latere Orientali ostendit. Longitudo autem quærenda erit filo, aut regula, loco superimposita versaq;, donec in Boreo Australique latere idem utrimque ejusdem gradus minutum designetur, quodcunque tum illud erit, loci assumpti Longitudo existet. usus

Quo artificio sint inter duas civitates, & alia quævis loca graduum vel milliarium interstitia invenienda.

TABULIS omnibus Scalas miliarium adjunximus, quibus facile omnium locorum interstitium invenies hoc modo.